

in belluam; ut qui non jam armis, sed calcibus Deum et homines aggrediatur. Simile est quod Oseas, cap. IV. ait de eodem populo: *Sicut vacca lascivens declinavit Israel: verum: Prosperitas stultorum perdit eos*, ait Salomon, Prov. IV. Quem admodum enim vaccae et boves saginati ducuntur ad macellum; ita qui ex prosperis efferuntur et insolescunt, trahuntur ad gehennam. Unde D. Gregorius, lib. VI. moral. cap. III. *Quasi, inquit, per amœna prata in carcerem pervenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit*. Ita ad carcerem ineluctabilem ductus est servus nequam per obtentam indulgentiam: quare misericors

Deus electis suis adversa magis immittit, quam secunda. « Solent nonnulli viatores, cum amœna fortasse in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, et a cœpti itineris rectitudine declinare, eorumque gressus tardat pulchritudine itineris, dum delectat. Electis ergo suis Dominus hujus mundi iter asperum facit, ut, dum quisque vitæ præsentis requie, quasi amœnitate viæ, pascitur, magis cum diu pergere, quam citius pervenire delectet; ne dum oblectatur in viâ, obliviscatur quod desiderabat in patria, » inquit D. Gregorius, lib. XIII. moral. cap. XXIV.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XXII.

In illo tempore, abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone, et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum; dic ergo nobis quid tibi videatur: Licet censum dare Cæsari, annon? Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei. Deo.

CONCIONES.

- I. Adulatorum mores et nequitia.
- II. Hypocritarum nequitia ostenditur.
- III. Quid unusquisque debeat sibi, proximo, Deo.
- IV. Bona nostra quomodo cum Deo dividenda.
- V. Imago Dei in homine quoad multa.
- VI. Cur homo ad imaginem Dei conditus sit.
- VII. Hominis præcipua membra quarum rerum sint imago.
- VIII. SS. imaginum cultus comprobatur.
- IX. Documenta.

X. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Deo gloriam, proximo charitatem, nobis confusionem deberi.
- II. Quare Deus cor, seu amorem sui, exigit a nobis.
- III. Lingua quam caute custodienda.
- IV. Veritatem libenter audiendam esse.
- V. Qui potissimum Deum periculose tentent.
- VI. Adducuntur aliqui ad speculum ad seipsos intuendos.

CONCIO I.

ADULATORUM MORES ET NEQUITIA.

- I. Aliorum moribus se accommodant. — II. Mirantur et extollunt eorum dicta et facta. — III. Coram laudant, clam rident et despiciunt. — IV. Laudant et defendunt male agentes. — V. Mentem et scrupulos eripere conantur. — VI. Delinquentes non corrigunt. — VII. Corrigunt interdum, sed leviter. — VIII. Ad placitum loquuntur. — IX. Divinant et promittunt mira. — X. Omnia tolerant.

THEMA.

Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone. Matth. XXII.

Certum genus hominum est, infami quidem nota, reip. tamen utile et homini, Christiano præsertim, nequaquam execrandum aut abominandum, canicularum inquam. Circumeunt illi

IV. PARS ÆSTIVALIS.

urbium plateas, jaculatorio instructi laqueo, quem blando quidem incessu allectis ad se canibus derepente injiciunt, nihil tale metuentibus; sicque illaqueatos post se per urbem trahunt, demum strangulant et necant. Mirum est, quam hoc genus hominum canibus exosum sit. Sive enim ex odore, sive ex naturali antipathia statim eos agnoscunt, et velut hostes suos latratibus insectantur, etiam cum ab eis nullum sibi periculum imminet. Non arbitrorme injuriam facturum adulatoribus, si infamibus canicidibus eos comparavero. Ut enim isti canibus, ita illi insidiantur hominibus. Isti dissimulanter et blande incedentes, subdole jaciunt laqueum et collis canum induunt: illi blando et amico sermone sese insinuantes, incautos illaqueant homines. Quamobrem ille Diogenes blandam orationem non ex animo profectam, sed ad gratiam compositam vocare solebat *melleum laqueum*; quod blande amplectens hominem jugulet, Laert. I. VI. Cujusmodi sane laqueum jure merito

vocamus orationem illam Pharisæorum, qua pessimi isti canicidæ, capere et jugulare conabantur ipsum Dei Filium in hodierno evangelio: *Magister, scimus quia verax es, etc.* Denique, ut canicidæ suo illo laqueo canum quidem interitum, suum vero quæstum ex illorum pellibus quærunt: ita adultores suum dumtaxat lucrum ac profectum, amicorum vero perniciem et ruinam. Hæc causa est, cur omnes fere mortales adulatoribus infensi sint et diras imprecentur. Plato in Phædro vocat adulatorem: *Bestiam humano generi pestilentem, similem venefico, imo impuro dæmoni, qui animos incautos funestis epulis fovet et sordibus noxis inquinat*: et in Menexeno, similem præstigiatori, qui iudicium et rationem aliis eripiat. Plutarchus, in opusc. de discret. adul. et amici, appellat eum patriæ et virtutis inimicum: Epictetus *corvum*; quod sicut ille mortuorum oculos, ita iste viventium animos perdat atque excæcet: Antisthenes *meretricem*: Anaxilaus opum vermem: Constantinus Magnus tineam et soricem. Ecce quot latronibus objurgant isti adulatorem! Ipse Christus Dominus in hodierno dura voce excipit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Quanto igitur assentatores tam exosi sunt apud omnes recte sentientes, videamus eorum artificium, mores et nequitiam.

I. Principum et aliorum amicorum moribus se accommodant eosque imitantur. Ut enim umbra, quidquid agis imitatur, si stas, stat: si curris, currit; sic adulator quocumque te veritas, sequitur: si taces, laudat tuum silentium; si loqueris, celebrat et admiratur tuam orationem: si exultas, fingit se exultare: si doles, dolere. Ita Clisophus ille Philippi Macedonum regis assentator, cum ex oculato prodiit eodem oculo fasciis obligato, cum claudicante claudicans: si quem acrem cibum Philippus ori admoveret, ipse vultum contrahebat, quasi eo et ipse morderetur. Heliotropio tantus amor solis est, ut cum ipso circumagatur, et quocumque verterit sol, eo flectat cacumen; noctu etiam tamquam desiderio solis contrahat florem: sic gnathones se principibus et amicis per omnia accommodant. « Si videant principem venationibus, inquit (Heresbachius jurisconsultus), aucupiiis deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres crepant, identidem visam a se ingentem feram clamitantes: si luxum aut splendorem, nihil præter gemmas bracteasque vestes ingerunt: hæc principe, inquiunt, digna vestis: si crapulis poculisque delectari sentiant, subinde commensationes adornant, quin et ipsi quoque ebrietati vacant, atque cum ingentem pateram haurire principem vident: O dignum principe

haustum, succlamant! Si erga eos quos vocant evangelicos princeps sit propensior, in promptu sunt in pontifices et ecclesiasticos convicia: si rursus pontifici faveat, mox evangelicos lacerrari audias, eosque ut seditiosos tollendos, ut hæreticos cremandos. » Ad hæc mutabiles et varii sunt, prout viderint amicum variare ac mutare animum. Simulet aliquis princeps facti penitentiam mutetque suum consilium; illico aderit assentator ac dicet, jure dubitare dominum an hoc statuendum sit, se quoque fuisse, cur id consilium placuisset; sapientis fore mutare propositum. Quemadmodum enim chamæleontes omnium, quas coram vident, rerum colores induunt ac mutant cum iisdem, solum candidum rubrum assumere negantur: ita adultores omnium se moribus conformant, solum animicandorem ac sinceritatem, ruborem quoque pudoris et erubescentiæ non induunt. Unde Alcæus: *Et solum imitatur principis atros: albi et pudici nescius.*

II. Mirantur et extollunt eorum dicta et facta, opes et splendorem, et potentiam et sapientiam, teste S. Juda in ep. sua dicente: *Os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causa.* Ita Nicesias Alexandri Magni assentator, qui cum rex a musca se compunctum quereretur, ideoque muscas velut sibi molestas abigeret, ait: *Aliis profecto muscis hæc, quæ tuum sanguinem degustarunt, præstantiores multo futuræ sunt ac strenuiores.* Idem cum Alexandrum sumpto medicamento cruciari torminibus videret: *Quid, inquit, o rex, nobis fiet, quando vos deos hæc tormenta premunt?* Athen. l. VI.

III. Laudant coram et in faciem; interim tamen clame eos ridet ac despiciunt. De his Prov. XXVII. dicitur: *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit,* hoc est, qui coram et in faciem laudant amicum, tempore importuno, ad instar eorum, qui olim summo mane et cum clamore consalutabant opulentos in suis ædibus ii non meliores sunt: quam si maledicerent, quia non nisi sportulam et lucrum suum quærunt, amicum interim velut stultum et ambitiosum traducunt. Propterea viri prudentes et cordati hujusmodi laudes repulerunt cum indignatione, uti Augustus imperator qui ludos spectans, pronuntiante mimo: *O dominum æquum et bonum!* populoque applaudente, statim manu vultuque indecoram adulationem repressit, et sequenti die vetuit edicto, dominum se appellari, Suetonius, c. LIII. Idem fecit Tiberius, ejus successor. Bene enim D. Gregor. l. XXI. moral. c. XXXIII. ait: *Sapiens cum laudatur in facie, flagellatur in mente.* Quod

imprimis sapientissime vitavit Christus Dominus, qui fidelissimum et dignissimum amicum suum, Joannem Baptistam, mire quidem commendavit, non tamen in faciem, neque etiam presentibus adhuc ejus discipulis, sed abeuntibus, Matth. XI. Similiter centurionem de fide commendaturus, non locutus est *voce grandi*, ut audiret centurio, sed: *Sequentibus se dixit* (adeoque ad eos conversus, a centurione vero aversus): *Non inveni tantam fidem in Israel*, Matth. VIII. Porro recte addit Sapiens, hujusmodi laudatorem maledicentem similem esse; quia tam importunæ laudes feriunt aures sapientum: et qui palam amicos laudant, communiter absentes ridet et vituperant. Unde quidam apud Senecam, ep. XXVII. ait, adultores dominorum suorum esse: *Arrosores, et quod his duobus junctum est, derisores*: et S. Hier. in ep. ad Rusticum: « Ne credas tuis adulatoribus, qui cum te adulationibus foverint, asini auriculas post te agitant, aut ciconiarum colla curvant, aut æstuantis canis portendunt linguam. » Ut enim speculum intuentium imagines representat, sed inverso ordine: quæ dextra sunt, representat sinistra, quæ orientem spectant, representat ad occidentem: ita adultores intentione laudant suos amicos; vos enim voce commendant, corde vituperant: vos in faciem laudant, a tergo ridet: presentibus benevoli, absentibus infensi sunt.

IV. Laudant etiam male agentes, et defendunt eorum vitia. Exempli gratia, sumpsit quis vindictam de inimico; illico adsilit palpator, et heroicum illius animum dilaudat: justitiam ejus deprædicat. Ita Anaxarchus cum videret Alexandrum Magnum se ob Clyti necem dire exorciantem: *Nescis, inquit, jus et fas assidere Jovi, ut quidquid rex facit, id justum fasque sit!* Laert. l. IX. c. X.

Dionysii crudelitatem adultores justitiam appellabant: Assueri indignationem, licet immerito conceptam in reginam conjugem, (quæ prodire in publicum convivium renuerat) mox approbavit ministrorum unus, Mamuchan exclamans: *Justa est regis indignatio*, Esth. I. Atque ita fit, quod Matth. VIII. dixit Dom. « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. » Nam ut exponit D. Gregorius, l. IV. moral. XXV. « Mortui mortuos sepeliunt, cum peccatores peccatorem favoribus premunt: quod enim est aliud peccare quam occumbere, et sepelire quam abscondere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt. » Contingit sæpe, ut quis e peccato suo quasi e sepulcro eluctari velit; sed dum adest

hujusmodi diabolicæ vespillo, minime id valet, obrutus blanditiis quasi terræ glebis a pessimo palpatore. Sunt hi ancillæ infantariæ, quæ dum agitant cunas, cantum adhibent, qui infantem sopiant. Sic enim etiam etiam adultores maligno suo cantu in profundum peccati soporem dant peccatoribus. Rursus, ut illæ cunis alligant infantem; ita isti amicum lecto peccatorum. Unde Augustinus, in sententiis, sent. CXXXVII. ait: *Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.*

V. Mentem et conscientiam scrupulos eripere illis conantur. Hanc ob causam Antisthenes adultores meretricibus comparavit: *Ut enim meretrices, aiebat, bona omnia præter mentem et prudentiam et suis amatoribus imprecantur: eodem modo adultores iis quibuscum agunt.* Viderat aliquando Gaal Sichimorum capitaneus, de montibus ad urbem descendere exercitum hostilem (qui erat regis Abimelech) remque ut erat, suspicatus ait: *Ecce de montibus multitudo descendit.* Verum socius ejus Zebul, (qui erat occultus urbis proditor) suspicionem illi exempturus: *Umbras, inquit, montium vides quasi capita hominum, et hoc errore deciperis.* Verum eventus docuit rem dixisse Gaal; venit enim Abimelech et in fugam compulit capitaneum Gaal, Judic. IX. Hunc in modum principes et magnates sentiunt subinde conscientiam suam scrupulos, videntque Dei iram sibi imminentem; sed adsunt illico improbi ac delosi adultores, eisque dicunt: *Umbras hominum vides quasi capita hominum.* Falleris, non est hoc a Deo: casu id accidit, natura id fecit, larvæ sunt, quas reputas inferorum pœnas, umbræ montium sunt. At interim descendit contra eos ira Dei sæpe. Incidit aliquando Julianus apostata, nondum imperator, in præstigiatorum, sciscitans ab eo, num imperii compos aliquando fieri possit. Cum ergo in adita cujusdam delubri deductus a mago esset, accidit ut cum apparentibus ad illius magi invocationem terribili specie dæmonibus, ipse metu perterritus, cruce frontem signasset, dæmones ad Dominici trophæi figuram confestim evanuerint. Quare cum virtutem crucis vehementer admirari cœpisset, tamen præstigiatores causam recessus dæmonum non ipsorum formidini, sed detestationi ejusmodi Juliani facti adscribente, miser ipso in fraudem impulsus, impiis initiatus est mysteriis et imperii cupiditate omnem penitus pietatem exuit, ut scribit Theodoretus, lib. III. cap. III. apud Baronium, anno 354. Videmus ex his quam recte Plato in Phædro (uti supra diximus) adulatorem comparavit venefico, imo impuro dæmo-

ni : *Qui animos incautos fumestis epulis fovet.* Id enim Juliano fecit praestigiator ille.

VI. Delinquentes minime corrigunt; tametsi alioquin amici haberi volunt. De Patricio narrat Plutarchus, ut moral. in bellum proditurum, reliqua quidem Achillis arma sibi sumpsisse, solam hastam ut dixerent, et praevalem non attigisse. Huc in modum assentator omnia veri amici symbola imitatur praeter solam admonendi libertatem. Expertus id in aula sua fuit Asiae rex Antiochus, eodem Plutarcho auctore; qui adeo circumseptus fuit adulatoribus, ut veritatem nunquam perceperit, nisi a quodam viro rustico, apud quem diversabatur. Nam cum in venatu quodam feram insequeretur, aberrans ab amicis ac famulis in casam pauperum quorundam, quibus ignotus erat, mutata veste introit, atque inter coenam injecta mentione regis audivit, tum quod plerasque functiones mandaret amicis improbis, et ad eorum facta coniveret: tum quod immodico venandi studio frequenter necessaria negligeret, regem quidem esse virum bonum, sed pravis consiliariis stipatum quique seria regni negotia ob insanum venandi studium postpuleret. Ad haec tum temporis rex nihil respondit, nec qui esset prodidit. At primo diluculo advolantibus ad vile tugurium ministris allata purpura simul cum diademate: *Age,* inquit, *ex quo vos indui, heri primum vera de me ipso audivi,* et non dissimulanter dissimulatores dixit: *Veritatem heri demum intellexi, nec a quoquam vestrum, a quo tempore mihi adestis, liberiores vocem audivi.* Nam fere hoc studium est iis, qui vivunt in aulis, ut nil dicant nisi blandum auribus. Quantum vero hoc damnum sit, regibus praesertim et principibus, qui tot populis praesunt, quis est, qui non videat? Intellexit sane vel ipse Alexander Magnus, caeteroqui ab assentatoribus saepe dementatus. Fertur enim quemdam philosophum, quo antea familiariter utebatur, a suo consortio repulisse, quod nunquam regem objurasset, dicens: « Si mala, quae facio, non intelligit, est insipiens: si intelligit et non arguit, est malevolus adulator. Utrovis nomine dignus, qui a regia familiaritate plane arceatur. »

VII. Corrigunt interdum, sed leviter et ad speciem, ne reputentur assentatores, quo modo adulatorii quidam et mendaces prophetae vaticinati sunt Jerosolymae assumptiones (Hebr. *onus seu plagas divinas*) falsas, ut ait Jeremias, Thren. II. *ut viderentur ei semper blanda et placencia loqui, more pseudoprophetarum.* Ita enim adultores ne ad gratiam semper loqui videantur, quando eos, quibus maxime adulantur, re-

prehendunt: sicut Melitaei catelli, qui fingunt se interdum dominam mordere, dentes tamen non infigunt: morsum simulant, sed non mordent. Recte etiam Ezechiel, c. XIII. pulvinaribus comparat adulationes, quas regibus et principibus substernunt assentatores, ad sopiendas et confortandas vulneratas eorum conscientias: *Consumunt pulvillos,* inquit, *sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas.* Nam, ut notat etiam Plutarchus, lib. de discrim. adul. et amici, sermones adulatorii similes sunt pulvillis et cervicalibus, quae cum videantur capitibus incumbentium resistere et reniti, cedunt potius, seque accommodant. Sic enim adulator assumit fucam dicendi libertatem, et subinde quaedam carpit ac reprehendit, quasi resistere amico velit: interim tamen ei magis se insinuat, et reprehensionem in laudem vertit, quo fortius eum irretiat. Sane talis gnatho fuit, qui Tiberio imperatore senatum ingrediente exclamavit esse libere loquendum nec reticenda, quae ad rempublicam attinerent. Erectis ergo ad hanc vocem omnium auribus, ipso etiam Tiberio attento: *Audi,* inquit, *Caesar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palam fateri; impendis te ipsum nobis, corpus tuum diurnis nocturnisque laboribus et curis pro republica conficiens.* Cui tam turpi adulationi subiecit C. Severus: *Ista tanta libertas hunc hominem dabit exitio,* Sueton. Tacit. Plut. de amico ab adul. discer. Atque hoc est pestilentissimum assentatorum genus, quod a veris amicis difficile discernitur, et leviter reprehendit, ut tutius et facilius in gravia praecipitet. Spurium est triticum vero tritico simillimum quod proinde a vero difficile separatur in cribro; atrum tamen efficit panem; utrum est pellucidum crystallo quam simillimum: putridum est lignum, quod igneum praese fert splendorem.

VIII. Ad placitum loquuntur, pro cujusque gustu et genio. Similes quoad hoc Rebecca, quae cum audisset conjugem Isaacum filio dicentem: *Fac mihi pulmentum, sicut velle me nosti,* rapuit hoc verbum ex ore ejus, et dixit filio suo Jacob: *Faciam escas patri tuo, quibus libenter vescitur,* Gen. XXVII. Ita enim adultores quia advertunt principes suos ea dumtaxat audire velle, quae perplacent; hinc ad eorum gustum omnes suos sermones ac gestus componunt. Coqui igitur sunt, qui id solum spectant, ut cibus hero sapiat, prosit vero an obsit, nihil pensi habent; oris et palato coquunt, non capiti, non stomacho, non hepatis; imo plurima miscent valetudini contraria, nec tamen istud curant; solum enim hoc quaerunt: sapuitne cibus? Qua in re mul-

tum profecto differunt a se medici et coqui. *Illi enim,* inquit Philo, in l. de Josepho, *quidquid ad sanitatem conducit, etiamsi aegrotum ingratum videatur, solum magno apparent studio. Hi contra suavia curant, utilia negligunt.* Medici sunt amici veri, coqui sunt gnathones. Tales erant oratores illi Atheniensium superbia turgidorum, qui pro concione populo assentantes dixerunt: *Gracis cum aliis nationibus esse communia caetera; at vitam, qua in caelum itur, solos Athenienses nosse.* Talis Anaxander parasitus Alexandri Magni, qui cum rege (qui Jovis filius adire gestiebat) iter faciens, ut repente stupendo fragore intonuit, omnibus pavore consternatis dixit: *Hocine tu fecisti, Alexander Jovis filii? Athen. lib. VI. Veri igitur amici medicos imitentur, non coquos, salubria potius quam suavia fautoribus suis loquantur.* Non sine mysterio Deus veteri in lege mel in sacrificio offerri noluit, Levit. II. Causam dat Hieronymus, ep. XIX. ad Eustochium: « Apud Deum enim, inquit, nihil voluptuosum, nihil tantum suave placet, nisi quod in se habet mordacis aliquid veritatis. Deo ergo placet non adulatio blanda et fallax, sed veritas severa et mordax. »

IX. Divinant ac promittunt mira et stupenda, quae praestare nequeunt. Quemadmodum enim aquila testudinem in altum evehit, ut inde det praecipitem et confringat: ita adultores evehant fautores suos in altissimum vanitatis apicem, ut inde in gravia peccata praecipitent. Eo pertinet, quod Os. IV. dicitur de hujusmodi assentatoribus populi Hebraei: *Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum,* quasi dicat: Peccata populi laudant, et in se suumque caput suscipiunt, quasi nulla sint; atque ita populum suum blanditiis elevant in altum atque extollunt, quasi gentem Deo charam et amicam, propter Abraham patrem eorum. Talis populus ille Tyrius et Sidonius, qui perorante Herode Agrippa adulatorie exclamavit: *Dei voces et non hominis.* Sed quid actum? Dum hac assentatione in superbiam elatus rex, honorem divinum admittit, nec a se amolitur, repente ab angelo Domini perculitur viscerum dolore ac demum putrefactione: unde exclamare coactus est: *En ego ille vestra appellatione deus vitam relinquere jubeor, fatali necessitate coarcente vestrum mendacium, et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior,* Josephus, l. IX. antiq. c. VIII. et Actor. XII. Deceptus etiam hac muscipula est Justinianus sagacissimus alioquin imperator, cui Tribonianus jurisconsultus assentando ingessit: *Non moriturum ipsum, sed una cum corpore in caelum migraturum,* teste Suida, in voce Tribonianus. Verum sua jurisprudentia

et dignitate turgidior imperator hoc consecutus est, ut de fide catholica in haeresin laberetur ac periret. Quare rectius audisset Agapetum pontificem ita eum monentem: *Amplere eos imperator, qui bonorum te consiliorum admonitum vocant, non eos qui adulari saepe student, etc.* apud Corn. in c. XIII. Ezech. Melius sapuit Agesilau. Laedæmoniorum princeps, qui intelligens Thamos sibi templa divinosque honores decreuisse ob beneficia eis praestita, quaesivit e legatis, an civitas eorum posset homines in deos convertere? Cum affirmarent: *Agedum,* inquit, *vos ipsos primum deos facite; eo facto credam vobis, posse me quoque a vobis in Deum mutari,* Plut. in Lacon.

X. Nihil non patiuntur et tolerant, ut quaestum faciant. Quales erant illi parasiti Dionysii qui faciem sputo ejus conspergendam objiciebant: salivam et quae vomitu egresserat, delinquentes eaque melle dulciora esse affirmantes. « Talem fuisse referunt, inquit Heresbachius jurisconsultus, qui ad gratiam ejus, quem captabat, uxorem repudiabat, quod sciebat illi, cui adulabatur, conjugem parum gratam. Quosdam accepimus nostro tempore apud maximum monarcham morbum simulasse, ac una cum principe in periculosorum remedium societatem descendisse. » Verum his omnibus eo solum colimant, ut sibi et suis commodis consulant, quod tam avidè faciunt, ut cum possunt amicos etiam exhauriant: unde bene Plut. l. de adul. et amari discer. pediculis eos comparat: « Nam ut hi corpora extincta deserunt, statim atque sanguis, quo alebantur, evanuit; sic illi eos, quorum res perit, effugiunt. » Sotio dicebat: « Sicut qui amicos peregre abeuntes, dum via plana est, deducunt; dum asperior esse incipit, recedunt: ita adultores comitantur divites, at sumptus cum deficit, statim referunt pedem, » Stobaeus et Max. serm. XI. Denique: *Sicut vermes,* aiebat Anaxilaus, *tritici nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint: sic illi divitum substantiam rodunt,* Athen. ex Theophrasto. Ex quibus, opinor, sat superque patet, quam noxii, quamque infames sint assentatores. Quisquis ergo huic infami studio operam dedit, oculos suos aperiat ac respiscat, ne una cum amicis seipsum perdat. Intueatur exemplum resipiscantis adulatoris, cujus monumentum extat Lutetiae Parisiorum. Ibi enim in foro frumentario, ut scribit Tympius, in spec. magist. fig. II. ostenditur os cloacae, in qua sepeliri se jussit quidam, quem sero penituit mali consilii et pravae adulationis. Hic viderat regem tristem et sollicitum propter angustiam rei pecuniariae. Is quo regem sublevaret, suasit, ut ex minimis etiam rebus, quas rustici deferant in urbem, unum